

DE PRESBYTERO A NOVO IURIS CANONICI CODICE AD VATICANUM II CONCILIUM: PRO QUADAM EXPLENDA VEL REFICIENDA EFFIGIE

SUMMARIUM: Examinantur canones novi Codicis iuris Canonici qui describunt figuram presbyteri, instituendo comparisonem inter eos et fontes ex quibus hauritur: documenta nimirum varia Concilii Vaticani II, plus quam ius canonicum praecedens.

Concluditur fidelitatem quidem erga Concilium eiusdemque dictamina conservatam esse; sed in pluribus particularibus, utpote quae ad ordinem iuridicum minus pertinent, Concilium, ut coniciendum erat, plenius quam Codicem rem exposuisse.

Ioannes Paulus II, in Apostolica Constitutione *Sacrae Disciplinae Leges*, qua Codicem Iuris Canonici promulgavit, Vaticani II Concilii documentorum vinculum cum Codice artissimum saepe extollit.

Cuius Constitutionis aliquibus in locis Summus ipse Pontifex acerrimis gravibusque significationibus iudicium suum de hac re in promptu ponit, dicens Codicem doctrinam Concilii Vaticani II iterum proponere¹, immo veluti complementum illius Magisterii esse².

¹ «Instrumentum quod Codex est, plene congruit cum natura Ecclesiae, qualis praesertim proponitur per Magisterium Concilii Vaticani II in universis spectatum, peculiarique ratione per eius ecclesiologicam doctrinam»: IOANNES PAULUS II, *Sacrae disciplinae leges*, in AAS 75 (1983), Pars II, XI.

² «Quinimmo affirmari licet inde etiam proficisci notam illam, qua Codex habetur veluti complementum magisterii a Concilio Vaticano II propositi»: *Ibid.*, XII.

Et, loquendo de sive Concilii sive Codicis novitate³, Summus Pontifex asserit insuper:

«Immo certo quodam modo, novus Codex, concipi potest veluti magnus nixus transferendi in sermonem canonisticum hanc ipsam doctrinam, ecclesiologiam scilicet conciliarem»⁴.

I. A Vaticano II ad Codicem

Prolata vero excerpta Codicem a Papa exhiberi non tantum Vaticani II Concilii iudicia complectentem, sed nitentem omnino eiusdem Concilii mentem in canonica decreta transferre animis infingunt.

Ex Pontificis effatis varia maximi momenti et ponderis consecraria erui censemus, id est, quod:

I) Concilii Vaticani II documenta ut novi Codicis Iuris Canonici summus fons, et ipso Codice Pio-Benedictino potior, exstant;

II) nulla eiusdem Concilii dicta ad Codicis canones penitus intelligendos praeterire licet;

III) universa Codicis argumenta perspicendi gratia, Concilii enuntiationibus prae omnia utendum est;

IV) si quis arbitretur, vel comperiat, quandam notionem «sermone canonistico» consummate non efferri, Concilii Vaticani II documenta plurimum advocanda sunt.

Quae superius commemoravimus quemquam fortasse adducere possunt ut unice in nodis Concilii

³ «Hinc sequitur, ut universalis illa ratio "novitatis", quae, a traditione legifera Ecclesiae numquam discedens, reperitur in Concilio Vaticano II, praesertim quod spectat ad eius ecclesiologiam doctrinam, efficiat etiam rationem "novitatis" in novo Codice»: *Ibid.*, XII.

⁴ *Ibid.*, XI.

documenta adeunda fore, in planis vero quaestionibus Codicem tantum satis futurum esse existimet. Minime: nemo, ecclesiastico quovis munere praeditus (exempli gratia: episcopus, pastor animarum, curiae minister, canonici iuris magister vel generis eiusdem alii) huiusmodi opinioni alliciendus est.

Cum ecclesiastica negotia universa Codicis Iuris Canonici praeceptis regantur, iurisperitis clericisque haud raris fines certos terminosque in «translatione illa» consistere, at primigenas Concilii sententias neglegere, proclive est.

Quoniam multi solidum definitumque responsum quaerere, potius quam doctrinam collustrare, malunt, Concilium minus minusve in dies perspici pertentarique opinamur. Si atqui talis ut vera probetur opinio, adiectam ob causam pericula exorientur pergravia. Nam Codicis canones cum Concilii documentis comparando, canones numquam Concilii solam esse verborum translationem, sed potius enuntiationum ipsius synthesim pro certo habemus.

Addendum etiam est quod omnis synthesis, quamvis veridica, veritatem nudat indiciis et tenuitatibus, utilissimis vero pro cautis utentibus.

Cum autem synthesis, suapte vi, summatim agat, minus circumscriptam quam primigeniam sententiam expromit: quod etiam inter Concilii mentem et Codicis canones evenit.

Ubi primum de eodem ergo argumento Codicis canones cum Concilii dictis contulerimus, continuo dissimilia oculis incursabunt; ita, exempli gratia, est de fraternitate inter presbyteros assequenda.

Novus enim Codex in Canone 275, § 2 hortatur verbis:

«Clerici, quippe qui omnes ad unum conspirent opus,

ad aedificationem nempe Corporis Christi, vinculo fraternitatis et orationis inter se uniti sint, et cooperationem inter se prosequantur, iuxta iuris particularis praescripta».

Ex documentorum nonnullis Concilii locis (PO 8 et LG 28 et CD 30), qui de eadem quaestione disserunt, unum brevissimum ostendimus, et dissimilia subito prominent:

«Vi communionis sacrae ordinationis et missionis presbyteri omnes inter se intima fraternitate nectuntur, quae sponte et libenter sese manifestent in mutuo auxilio, tam spirituali quam materiali, tam pastorali quam personali, in conventibus et communione vitae, laboris et caritatis»⁵.

Quoniam multifariam Concilii Vaticani II documenta connexiones inter presbyteros patefaciunt nec non Concilii vox primis veluti lineis eiusmodi itinera adumbrat, presbyteri ad mutuas iunctiones ultra ius particulare, neque eas eidem subiciendo consecrandas inducuntur. Aliquando veremur immo ne nobis liceat dubitare quin Concilii significationes tamquam fons «canonisticae translationis» adhuc durent. Decet itaque nobis de consociandorum presbyterorum iure⁶ a Concilio in n. 8 PO enuntiatio, at diversa ratione a Codice sancito, considerationem aggredi.

In Concilii monitis denique cum Codicis hortationibus praeceptisque erecta expectatione conferendis, aliqua elementa a Concilio celebrata, in Codice autem ommissa, colligimus.

⁵ LG 28.

⁶ Cfr. A. CELEGHIN, *Obligationes, iura et associationes clericorum*, in *Periodica* 78 (1989) 43-53.

II. De presbytero in utroque Codice

Codex Iuris Canonici, anno 1917 promulgatus, «presbyteri» nomine utebatur sed raris admodum in locis, quorum persignificans canon 108, in clericorum verbo discrimina enodans, sub § 3 asserebat:

«Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere».

Presbyteri vocabulum in aliis infrequentibus canonibus aderat⁷; sed Codex, ut presbyterum eiusque ministeria proprie significaret, sacerdotis vocem preoptabat⁸. In prima secundi libri parte⁹, dum notio ad universos clericos pertinens consideratur, de presbytero penitus agitur.

⁷ Semper in Codice anni 1917 adhuc notari potest:

can. 127: «praesertim vero presbyteri speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi»;

can. 448 § 1: «Vicarius foraneus debet... convocare presbyteros proprii districtus»;

can. 973 § 7: «Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt,... quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros»;

can. 397, 2^o: canonicis proprium est: «presbyteri assistentis fungi officio».

Adiectivus et substantivus in canonibus 231, 236, 240, de Cardinalium Collegio, et in can. 408 et 416, de Canonicorum Capitulis agentibus, invenitur.

Vox autem «presbyteratus» in cann. 232, 434 § 1, 453, 949, 975 et 978, § 2 invenitur.

⁸ Cfr., verbi gratia, cann. 126, 131, § 3, 358, 367, § 1, 372, § 1, 380, 381, § 2, 406, § 2, 445, 459, § 3, 465, § 5, 479, § 1.

⁹ Quae pars in duas sectiones dividitur: Sectio I «De clericis in genere» cann. 108-214 et Sectio II «De clericis in specie», cann. 215-486.

Nunc vigens autem Codex presbyteri appellationem et crebrius et copiosius variaque ratione frequentat¹⁰; *presbyteralis* quoque adiectivum et *presbyteratus* nomen in eo perassidua fiunt¹¹. Nihilominus presbyteri expleta cumulataque forma et notio in hodierni Codicis sermone latior et distinctior quam prioris effulget¹², cum de ea, ut et in Codice Pio-Benedictino, erat, sub particulari titulo tractetur, id est «De ministris sacris, seu de clericis»¹³.

Codex hic noster et exquisita et enucleata ratione ipsius sacri ministri naturam vitamque designare proponit. Ut presbyteri effigies perspicua perfectaevadat, novus Iuris Canonici Codex insignia auxilia canonibus ad complura presbyterorum officia spectantibus praebeat: exempli gratia ad parochum, ad paroecialem vicarium, ad foraneum vicarium, ad cappellanum¹⁴.

Nobis persuasum attamen habemus presbyteri definitionem ab istis canonibus difficillime amplificatam iri¹⁵.

¹⁰ Cfr., verbi gratia, cann. 89, 384, 443, 495-501, 757, 764, 835, § 2, 1034, 1036-1038. Cfr. X. OCHOA, *Index verborum ac locutionum Codicis Iuris Canonici*, Roma 1983, 344.

¹¹ Adiectivus iterum apparet cum de Cardinalibus (c. 350) et de presbyterali ordinatione dicitur; invenitur etiam in uno titulo: «De Consilio presbyterali» (cann. 495-502). Substantivus praesertim legitur in Libro IV, Titolo VI: «De ordine» (1008-1054). Cfr. X. OCHOA, *Index verborum*, 344.

¹² Cfr. *Ibid.*, 389-390.

¹³ Cfr. Liber II, Pars I, Titulus III «De ministris sacris, seu de clericis», cann. 232-297.

¹⁴ De hoc praesertim dicitur in Partis II, Libri II, Titolo III «De interna ordinatione Ecclesiarum particularium», cann. 460-572.

¹⁵ Considerari potest, verbi gratia, parochi ministerium. Secundum can. 521, § 1 parochus presbyter esse debet. In § 1

Recentior Codex presbyteri speciem praestitutis lineamenti effingit¹⁶. Recentior ab antegresso discrepans Codex presbyteri maturioris atque ad suam vitam praestandum habilioris imaginem describit.

In novo enim Codice, plura et vitae et ministerii eius inspicienti episcopo demuntur, et clericorum ipsorum responsabilitati concreduntur¹⁷.

Quae Codex de clerico vel tacet vel aperte palamque fari non vult, omnia ministrum sacrum, quamvis adauctum, tamen maturitatem plenam nondum coepisse existimari arguunt. Exempli gratia canon 274 de sacri ministri iure ad officium in Ecclesia adipiscendum tacet. E canonis verbis ipsis nulla questio, ex eiusdem vero efformandi canonis itinere gravissima offertur disquisitio. Nam Commissio ad Codicem priorem reformandum, dum agebat de clerici iure ad officium, ne inter clericum et ecclesiasticam potestatem orirentur contentiones¹⁸, huius argumenti haud expressam tractationem faciendam censuit, id quod insinuare videtur ministrum sacrum nondum ita matu-

canonis 516 «quasi-paroecia» presbytero committitur. Si hoc fieri non potest, secundum can. 517, § 2 dictamina, etiam personae sacerdotali caractere non insignitae concredi potest; tamen sacerdos, qui curam pastorem moderetur, constituendus est. In cann. 515, § 1 et 519, parochus dicitur pastor proprius paroeciae, quae uti certa communitas christifidelium in Ecclesia particulari stabiliter constituta definitur. Cann. vero 528, 529, transferentes et substituantes n. 30 Ch.D., aliquas pastores optiones praebent.

In his omnibus, autem, nihil invenitur quod ampliori ratione presbyteri imaginem illuminet.

¹⁶ Videatur in nostri studii conclusione: A. CELEGHIN, *Obligationes*, 50-53.

¹⁷ Ad hanc mutationem notandam comparandi sunt cann. 276, 285 et 287 praesentis Codicis et cann. 125, 138, 139 Codicis praecedentis.

¹⁸ Cfr. *Comm.* 14 (1982) 73-74.

rum haberi, ut in molestiis et angustiis prudens moderatusque se gerere speretur¹⁹.

In nuper evulgato Codice sacer minister veruntamen non obtinet quamdam immutabilem imaginem; immutabilis erat e contra in antiquiori Codice, et compage suffulta privilegiorum, quae sanciebant eius stabilitatem, interdum non sine detrimento pro ei ab Ecclesia delegato munere.

At hodiernus Codex clerico praecipuum commostrare mavult cursum, quo sacer minister marte fere uno suo suaque vi et facultate progredi potest. Quae semper aliquid agens et moliens intentio novi Codicis patefit et inscriptione, ubi et debita officia et exhortationes et potestates non seiunctim, ut in priori erant Codice, sed coniunctim ostenduntur.

III. *Presbyterium: conceptus novus*

Presbyteri imago ostenditur quando unusquisque et singillatim et una cum fratribus examinatur. Presbyterorum Collegium *Presbyterium* vocatur.

Statim notandum est vocem «Presbyterium», cum relativa «collegii presbyterorum» notione, in Codice anni 1917 afuisse²⁰.

In Concilii textibus saepe saepius vox invenitur²¹ et sequens praebetur definitio:

«Presbyteri, Ordinis Episcopalis providi cooperatores, ad Populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium cum suo Episcopo constituunt, diversis quidem officiis mancipatum²².

¹⁹ Cfr. A. CELEGHIN, *Obligationes*, 34-37.

²⁰ Aderat «Capituli» institutio (cfr. can. 391), quae praesentiam aliquorum tantum presbyterorum, considerabat.

²¹ Cfr. LG 20, 28, 41; PO 7, 8; ChD 11, 15, 16, 28, 29.

²² LG 28.

Presbyteri simul collecti rogantur ut «boni spiritualis universae dioecesis sollicitudine urgeantur»²³.

Presbyterium, secundum Concilii voces, et ex presbyteris in singula Dioecesi incardinatis et ex religiosis constitui videtur. Nam religiosi:

«vera quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt, quatenus in cura animarum atque apostolatus operibus exercendis partem habent sub sacrorum Praesulum auctoritate»²⁴.

Conceptus praedicatur et pro Ecclesiis in missionalibus regionibus constitutis. AG 20 sententiam iterat dicens:

«presbyteri locales (...) opus evangelizationis ardentem aggrediantur, communem operam instituendo cum missionariis exteris, quibuscum unum efforment presbyterium, adunatum sub auctoritate Episcopi».

Prolatae autem notiones duos Concilii conceptus praebere videntur:

a) integrum presbyterium in adiuvando Episcopo pro spirituali bono et pro regimine Dioeceseos pastoralis, profunde responsabile se habere debet;

b) presbyterorum consilium et ceterae collegiales institutiones hoc principium non derogant, sed concretae tantum eiusdem expressiones esse videntur²⁵.

²³ ChD 28.

²⁴ ChD 34.

²⁵ «Ut vero id ad effectum deducatur, habeatur, modo hodiernis adiunctis ac necessitatibus accomodato, forma ac normis iure determinandis, coetus ac senatus sacerdotum, presbyterium repraesentantium, qui Episcopum in regimine dioeceseos suis consiliis efficaciter adiuvare possit»: PO 7. Cfr. etiam cann. 495, 497, 498, 499, in quibus de Consilio presbyterali, et can. 502, in quo de collegio Consultorum agitur.

Participatio in presbyterio non pendet ex alicui Ecclesiae particulari incardinationis conceptu; etenim iuxta presbyteros incardinatos comprehenduntur et qui, etsi aliis religiosis auctoritatibus subiiciantur, munus pastorale in aliqua Dioecesi praestant, ob quam rem pastoralibus Episcopi dioecesani optionibus et mandatis obtemperare tenentur.

Codex agit de Presbyterio et de collegialibus institutionibus; de istis autem ampliori modo²⁶. De presbyterii Episcopo dioecesano cooperatione codex plura explicat²⁷; quaedam ministeria, verbi gratia, parochi et Evangelii ministerium²⁸, in communione cum presbyterio peragenda esse affirmat; fraterna autem communio cum presbyterio dioecesano gerenda etiam in formationis tempore praeparanda praescribitur²⁹. Attamen Codex duas Concilii significationes non refert; presbyterii scilicet in spirituali bono et in pastoralis Dioeceseos munere cooperationem, neque pastorale munus in presbyterio dioecesano participando ut regulam et iudicium sumit. Hoc evidens apparet, si Institutorum Saecularium membrorum clericorum status consideretur.

Canon 711 enim ait:

«Instituti saecularis sodalis vi suae consecrationis propriam in populo Dei canonicam condicionem, sive laicalem sive clericalem, non mutat». Et tertia paragraphus can. 713 profert: «Sodales clerici per vitae consacratae testimonium, praesertim in presbyterio, peculiari caritate apostolica confratribus auditorio sunt».

²⁶ Vox «presbyterium» tantum in octo canonibus legitur: 245, § 2; 369; 400, § 2; 495, § 1; 499; 529, § 2; 713, § 3; 757.

²⁷ Cfr. can. 369.

²⁸ Videantur cann. 713, § 3 et 529, § 2.

²⁹ Cfr. can. 245, § 2.

Instituti saecularis clerici presbyterii partes erunt, in quo ante consecrationem includebantur.

Codex incardinationem ut regulam et iudicium pro presbyterii participatione offerre videtur. Nam loquens de Institutorum apostolatu, etsi dioecesani Episcopi auctoritatem circa ministeria et officia religionis concedita confirmet, ingressum horum religiosorum in presbyterium non asserit³⁰.

Aliquod elementum pro conciliari doctrina in paragraphis 1 et 2 can. 498 inveniri potest. Illic ius electionis, tum activum tum passivum, religiosorum, aliquod officium in Dioeceseos bonum exercentium, asseritur. Tenue indicium hoc esse videtur, quod alterum Concilii assertum conservatur; attamen plenam conceptus in codicem translationem ex hoc autumare non consentit.

IV. *Quaedam comparatio inter Codicis et Concilii presbyterum*

Quod de presbyterio animadvertimus, absentiam perfectae identitatis inter duo magisterii documenta in lucem posuit. Hoc accidit etiam si presbyteri singulatim considerentur. Codex, qui multa de ministri sacri imagine a Concilio data recepit, «translationem perfectam» non operatus est.

Haec animadversio nullatenus autumare vult, quod de duabus figuris agatur. Absit! Fidelitatis erga Concilium animus et consecretaria signa ex parte Coetus Commissionis saepe saepius inveniuntur. Multi enim canones iisdem Concilii propositionibus redacti sunt³¹.

³⁰ Cfr. cann. 673-683.

³¹ Cfr., verbi gratia, cann. 275, § 1, 276, § 1, 277, § 1.

Attamen, nihilo minus hoc ample documentato conatu, tres considerationes, quarum rationes infra adducuntur, non sunt omittendae:

1) aliquas Concilii dispositiones tantum partialiter Codex in canonibus transtulit;

2) in revisionis Codicis opera, sicut ex Commissionis actis apparet, unus saltem Vaticani II fons ita debilitatus est, ut conciliaris paternitas in eo casu in dubium ponatur;

3) aliqua elementa, etsi non maximi momenti, de presbyteri vita et ministerio a Concilio data, in Codice hospitalitatem non invenerunt.

A) *Significationes ex parte tantum receptae*

In synthesis proposito, sine ullo dubio aliqua originalium textuum depauperatio ut normalis praevidenda est. Attamen in translatione a Concilio ad Codicem, aliquando aliquid amplius quam normalis depauperatio notatur; quod, nostro iudicio, incompleta Concilii indicationum receptio vocari potest.

Hoc et in presbyteri effigiei descriptione accidit.

Tria proferuntur exempla:

1) Magno cum vigore Concilium presbyteros ut studeant formationi laicorum ad apostolatam fovendum exhortatur.

In AA n. 30 Patres conciliares scripserunt:

«Sacerdotes autem in catechesi et in ministerio verbi, in moderatione animarum, necnon in aliis ministeriis pastoralibus formationem ad apostolatam prae oculis habeant».

Quae commendatio, finalitatem comprimariam «salutis animarum» dicens, valde perspicua est. Presbyter non solum evangelizationem, quam ipse opera-

ri potest, cordi habere debet, sed etiam prae oculis obligationem ad laicos efformandos³², ut ipsi dulce evangelii nuntiandi pondus recipiant, adimplere teneantur. Scribendi stilus, quo hoc pastorale munus redactus est, nulla alia translatione indigere videtur. Attamen in Codice mens conciliaris perspicua non apparet.

Codex quidem de laicorum apostolatu disponit³³; eorum «obligationem-ius» ad christianam melius cognoscendam doctrinam autumat³⁴; momentum consociationum christifidelium ad hoc constitutarum affirmat³⁵, atque consociationibus aliquos ponit fines³⁶; attamen numquam explicite hanc presbyterorum obligationem asserit.

Ecquis obicere possit aliquid huiusmodi in can. 275, § 2 enuntiari. Paragraphus ita dicit:

«Clerici missionem agnoscant et promoveant, quam pro sua quisque parte laici in Ecclesia et in mundo exercent».

Concordare debemus: textus duo, quae magni momenti sunt, affirmat: primum ius laicorum ad propriam laicalem in Ecclesia et in mundo missionem memorat, et deinde presbyterorum obligationem ad hanc missionem agnoscendam et promovendam subleat. At, nostro iudicio, duo subsequentes gressus, praetermisso primo, referuntur.

Si antea formatio ad apostolatam non habeatur,

³² Numerus 30 AA agit de laicorum cuiusque ecclesialis experientiae aetatisque apostolatu; attamen in citatione non memoratur presbyterorum obligatio ad laicorum formationem peragendam.

³³ Cfr., verbi gratia, cann. 225, § 1, 394, 512, § 2, 788, § 2.

³⁴ Cfr. can. 229.

³⁵ Cfr. cann. 298, 311, 329.

³⁶ Cfr. cann. 317, § 4, 311, 323, § 2.

postea agnitio necessaria non erit possibilis: non datur casus.

Et si actiones pastorales sine debita formatione «promoveantur», exitus continuitatis ex parte operantis, et acceptatio ex eis erga quos apostolatus opera dirigitur, non sunt expectanda.

2) Concilium presbyteris ad *paupertatem voluntariam* eligendam his verbis hortatum erat:

«Immo ad paupertatem voluntariam amplexandam invitantur, qua Christo manifestius conformentur, et ad sacrum ministerium promptiores fiant»³⁷.

Non solum religiosos presbyteros, qui evangelicum paupertatis consilium vocationis religiosae causa sequuntur³⁸, sed omnes presbyteros exhortatum est. Duas rationes adducit: manifestiorem Christo conformationem atque dispositionem ad sacrum ministerium promptiorem. Codex, etsi receperit atque in canonibus transtulerit multas huius materiae Concilii significationes, v. gr. rectam bonorum ecclesiasticorum administrationem³⁹, honestam clericorum sustentationem⁴⁰, apostolatus operas sustinendas et caritatem erga egenos exercendam⁴¹, tamen de presbyteri paupertate non agit.

In can. 282, § 1 exhortatio ad vitae simplicitatem colendam praebetur; sed, nostro iudicio, vitae simpli-

³⁷ PO 17.

³⁸ Cfr. cann. 573, 598, § 1, 600, etc.

³⁹ Cfr. can. 286. Vide etiam in Libri V, Titolo II *De administratione bonorum*.

⁴⁰ Cfr. cann. 281, 282, § 2, 384, 1254, 1274.

⁴¹ Cfr. cann. 282, 1254.

citae non videtur necessario implicare dilucidatam «paupertatis voluntariae» amplexionem. Et si in expressionibus «vitae simplicitatem» «paupertas voluntaria»⁴², uti peculiaritas presbyteri vitam et ministerium qualificans consideretur, clare dicendum est quod Concilii significatio suam plenam vim amisit, et Codex, sub hoc aspectu, non semper claris lineis pictam presbyteri effigiem praebet.

3) Presbyteri a Concilio rogantur ut aliquomodo ad *instrumenta communicationis socialis* adhibenda idonei sint.

«Ut necessitatibus nuper expositis provideatur, sacerdotes, religiosi, necnon laici tempestive instituantur, qui congrua peritia polleant in his instrumentis ad fines apostolatus moderandis»⁴³.

Textus episcopis videtur consilium praebere ut hanc hodiernam et magni momenti quaestionem prae oculis habeant, etiam agendo ut «aliqui» presbyteri, religiosi et laici de hac re periti fiant.

Codex in Titulo IV, Lib. III: «De instrumentis communicationis socialis, et in specie de libris» (cc. 822-832), et in aliis paucis canonibus de hac materia exponit.

Canones 822 et 823 textum Concilii modo citatum proponunt.

Ex canone 1063, ad 1, pastores obligatione tenentur curandi ut communitas christiana curam susci-

⁴² Cfr. *Comm.* 14 (1982) 80. Consultores, sine ulla discussione, incisum «spiritu paupertatis ducti» eliminant. Ex eo facilliter non receptio conciliaris doctrinae putari potest.

⁴³ IM 15.

piat relate ad matrimonium et familiam⁴⁴; «immo usu instrumentorum communicationis socialis» adhibito. At vero animarum pastor fieri peritus in communicationis socialis mediis non rogatur.

Canones 761 et 779, qui de praedicatione et catechesi persequendis etiam communicationis socialis instrumentis agunt, peritiam in his mediis utendis omnibus indistincte petere videntur.

Ab utriusque documenti comparatione conclusio sequens provenire videtur: Concilium et Codex, etsi de eadem materia disserant, in duobus diversis planis quaestionem aggredi videntur: Codex presbyteros ad ministerium pastorale adimplendum in catechesi tradenda et in Evangelio enuntiando etiam his instrumentis urget; Concilium autem proponit praeterea ut aliqui in hac materia periti fiant. Si ita non esset, Codex omnibus presbyteris petere videretur quod Concilium *ab* aliquibus tantum quaerit.

B) *Fons non amplius talis*

Sive Concilium sive Codex de iure consociationis, quo etiam presbyteri gaudent, pertractant.

Concilium dicit:

«Magni quoque habendi sunt et diligenter promovendae associationes quae, statutis a competenti ecclesiastica auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum in exercitio ministerii fovent et sic toti ordini presbyterorum servire intendunt»⁴⁵.

⁴⁴ Cfr. GS 52.

⁴⁵ PO 8.

Canon 278 ait:

«§ 1. Ius est clericis saecularibus sese consociandi cum aliis ad fines statui clericali congruentes proseguendos.

§ 2. Magni habeant clerici saeculares praesertim illas consociationes quae, statutis a competenti auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et fraternum iuvamen, sanctitatem suam in ministerii exercitio foveant, quaeque clericorum inter se et cum proprio Episcopo unioni favent.

§ 3. Clerici abstineant a constituendis aut participandis consociationibus, quarum finis aut actio cum obligationibus statui clericali propriis componi nequeunt vel diligentem muneris ipsis ab auctoritate ecclesiastica competenti commissi adimpletionem praepedire possunt».

Duo textus inter se variis rationibus discrepant. Summatim notare oportet:

1) In numero 8 PO praevidentur associationes presbyterorum «inter se»; Codex autem ius «sese consociandi cum aliis» statuit, sine ulla explicatione, an in consociationibus soli ministri sacri, an ipsi etiam cum aliis christifidelibus includantur⁴⁶.

2) PO de presbyteris, qui in Ecclesia particulari ministerium pastorale exercent, agit; hac de re, omnes presbyteri formantes presbyterium secundum rationes antea expositas⁴⁷ hoc ius vindicare possunt. Codex vero in § 1 canonis citati solis «clericis saecularibus» hoc ius tribuit.

3) Contextus citationis PO presbyteros ad associationes quae unitatem et iuvamen fraternum in

⁴⁶ Cfr. C.I.C. Edizione bilingue commentata, Roma (1986), 233-234. Interpretatio illic expressa acceptanda nobis non videtur.

⁴⁷ Cfr. supra III: *Presbyterium: conceptus novus*.

Ecclesia locali fovet, dirigit; Codex, autem, ius ab hoc contextu abstrahere et exclusive consociandi ius affirmare videtur. Codex verba Concilii, «toti ordini presbyterorum servire», sequenti propositione, et nostro iudicio optime, transfert: «quaeque clericorum inter se et cum proprio Episcopo unioni favent». Attamen, dum Concilii mens hanc finalitatem in associationis interno ponit, Codicis verba eam uti exitum spiritualis curae quam presbyteri gerant erga associationis «externa» praebere videntur.

4) Concilium presbyterorum associationes non suspicatur quae «diligentem muneris ipsis ab auctoritate ecclesiastica competenti commissi adimpletionem» praepedire possint; de hoc silet. Codex vero hoc praevidet⁴⁸. Quod patefacit Concilium et Codicem duos conceptus de presbyterorum associationibus praebere.

Animadversiones supra propositae et rationes a Commissionis coetu allatae⁴⁹ dubitare faciunt, ne n. 8 PO canonis 278 fons genuinus sit.

C) *Concilii elementa a Codice non recepta*

Codex aliquos aspectus a Vaticano II in lucem positos non recepit. Statim dicendum est stimulos omissos nihilo presbyteri imaginis comprehensionem praeccludere; attamen fatendum est illos ad perspicuos tractos totalitatis presbyteri figurae collustrandos magno auxilio futuros fuisse. Etsi omnes particularitates eiusdem momenti non sint, attamen omnes imaginis limites melius definiunt et vivificant.

⁴⁸ Cfr. can. 278, § 3.

⁴⁹ Cfr. *Comm.*, 3 (1971) 196; 14 (1982) 78.

In nostra investigationes tres invenimus lineas:
prima ipsum presbyterum scrutatur;
secunda presbyteri cum episcopo relationes
sublineat;
tertia mutuas presbyterorum inter se relationes
in lucem ponit.

1) In presbyteri descriptione «in adiunctis pastoralibus et humanis persaepe tam funditus mutatis»⁵⁰, Concilium singularitates praebuit, quas Codex non consideravit.

Breviter statim exponuntur.

a) Nostra aetate in ministerio presbyterorum etiam unitatis inter universos christianos redintegratio magni momenti est, et ab illis promovenda. Concilium de hoc multa, v.g. in PO 9, UR 7 et 10, OE 13-14 et in OT 16, dixit. A Concilii patribus presbyteri rogantur ut ad praescripta de oecumenismo attendant⁵¹, et plenius Ecclesias et communitates ecclesiales a Sede Apostolica Romana seiunctas cognoscant⁵², ne fratres, qui plena ecclesiastica communione non fruuntur, obliviscantur⁵³, sed potius unitatis redintegrationi promovendae conferre valeant⁵⁴. «A sacerdotum enim formatione necessaria institutio ac formatio spiritualis fidelium et religiosorum quam maxime pendet»⁵⁵.

⁵⁰ PO 1: «in adiunctis pastoralibus et humanis persaepe tam funditus mutatis».

⁵¹ Cfr. PO 9.

⁵² Cfr. OT 16.

⁵³ Cfr. PO 9.

⁵⁴ Cfr. OT 16.

⁵⁵ UR 10.

Codex, autem, tantum in uno canone⁵⁶ dimensionem presbyteri oecumenicam memorat. In can. 844 praescripta de sacramentis non catholicis recte administrandis declarat, et quaestionem tantum a non catholicorum petitione facta considerat. Responsabilitas presbyterorum ex quibus formatio fidelium spiritualis etiam ad oecumenismum pendet, sistere tantum in hoc canone videtur.

Omittendum non est quod Codex requirit aspirantes ad presbyteratum accurata praeparatione efformari⁵⁷, et de clericorum formatione in eo capite agit⁵⁸, in quo dicitur «diligenter instruantur alumni... in commercio cum hominibus, etiam non catholicis vel non credentibus»; et adhuc «edoceantur... de quaestionibus missionalibus et oecumenicis»⁵⁹.

Attamen evidens apparet hanc apertam propositionem et alias implicitas non recepisse claram et magni momenti positionem in re oecumenica quam Concilium presbyteris concredidit.

b) Concilium in lucem ponit et a presbytero petit «aliquem ad educationem christianam adimplendam sensum». In PO 4 affirmatur:

«Sacerdotalis vero praedicatio, in hodiernis mundi adiunctis haud raro perdifficilis, ut auditorum mentes aptius moveat, verbum Dei non modo generali et abstracto tantum exponere debet, sed concretis applicando vitae circumstantiis veritatem Evangelii perennem».

Non modo requiruntur praesupposita ad bene praedicandum, sed etiam cognitio eorum pro quibus

⁵⁶ Cfr. can. 844 cuius praecipuus fons in nn. 13-14 OE invenitur.

⁵⁷ Cfr. can. 1027.

⁵⁸ Cann. 232-264 de hoc agunt.

⁵⁹ Can. 256, § 1 et 2.

verba Evangelii proponuntur, vel quibus, etsi agatur de confratribus, auxilium praebere intenditur⁶⁰.

Haec propositio videtur inspirata fuisse in cuiusdam conciliaris membri propositione. In GE 2 legitur:

«Quare haec Sancta Synodus animarum Pastoribus gravissimum recolit officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles fruantur»⁶¹.

Presbyter non solum conscientiam sui muneris ad educationem christianam promovendam habere debet, sed etiam omnia ut hoc munus exitum habeat, curare tenetur. Huiusmodi debitum temporis vel intensitatis limitationes prius constitutas habere nequit. Nam Vaticani II Patres presbyteros rogant «ut animam suam dent pro ovibus suis, parati quoque ad supremum sacrificium»⁶².

Codex, etsi de presbyteri obligationibus loquatur et multa de divini verbi ministerio dicat⁶³, hunc aspectum in lucem non ponit. Canones 769 et 773, qui expressionibus conciliaribus viciniores sunt, munus presbyteri educativum in sermonem canonisticum non transferunt.

c) Tempore hodierno, in quo patet urgentia sicutae «novae baptizatorum evangelisationis» in regionibus quae catholicae fidei traditione inspirantur, Codex non recipit quae Concilium presbyteris commendavit:

⁶⁰ Memorare opportunum videtur verba n. 8 PO: «quibus tempestivum praebeant auxilium, etiam si opus sit eos discrete monendo». De mutuis presbyterorum relationibus vide infra.

⁶¹ Cfr. etiam GE 7 et 10.

⁶² PO 13.

⁶³ Cfr. Liber III, Titulus I: *De divini verbi ministerio*, cann. 756-780.

«Omnibus testimonium veritatis et vitae reddere debere, et ut boni pastores illos quoque quaerere, qui baptizati quidem in Ecclesia catholica a praxi sacramentorum, vel imo a fide defecerunt»⁶⁴.

Textus non indiget explicationibus.

Immo, Patres presbyteros cuiusque nationis rogant ut cordi habeant omnes homines, etsi non catholicos, sibi his verbis concreditos:

«Commendatos sibi, tamen, habebunt illos omnes qui Christum Salvatorem suum non agnoscunt»⁶⁵; «Memores sint se sua cotidiana conversatione et sollicitudine fidelibus et infidelibus, catholicis et non catholicis, faciem ministerii vere sacerdotalis et pastoralis exhibere»⁶⁶; «Praeterea cura animarum spiritu missionali semper informetur, ita ut ad omnes in paroecia degentes, debito modo, se extendat»⁶⁷.

Aliquis conicere potest has cogitationes in can. 274, § 2 implicite contineri. Nostro iudicio verba paragraphi: «munus commissum suscipere et fideliter adimplere» vim missionalem, quae a citatis expressionibus profluit, neque recipiunt, neque eferunt.

Paragraphus, de qua loquimur, presbyterum ad operandum expectationis ministerium inducere potest, dum Concilium ad suscipiendam vim missionalem erga omnes ipsum urget. Et presbyter, hac qualitate orbatus, omnino diversus in Codice apparet.

Attamen Codex de spiritu missionali loquitur; sed tantummodo relate ad tempus formationis ad presbyteratum. In can. 245, § 1 scribitur:

⁶⁴ LG 28.

⁶⁵ PO 9.

⁶⁶ LG 28.

⁶⁷ ChD 39.

«alumni idonei fiant ad ministerium pastorale fructuose exercendum et ad spiritum missionalem efformentur».

Notare oportet explicitam mentionem ad «novae baptizatorum evangelisationis» in Codice abesse; insuper vim Concilii expressionum munerisque continuitatem, a Concilio sublimatas, in Codice minus notari.

Aliae presbyterorum qualitates pro tempore sive praeparationis sive ministerii memorantur⁶⁸, dum qualitas missionalis tantum in tempore formationis magni momenti esse videtur.

d) Methodologica significatio sat clara et temporis hodierno utillima in fine n. 28 Constitutionis Dogmaticae LG exprimitur:

«Quia genus humanum hodie magis magisque in unitatem civilem, oeconomicam et socialem coalescit, eo magis oportet ut sacerdotes, coniuncta cura et ope sub ductu Episcoporum et Summi Pontificis, omnem rationem dispersionis elidant, ut in unitatem familiae Dei totum genus humanum adducatur».

Pastorale ministerium huius temporis regulis iudiciisque perficiendum est. Hoc modo vires non disperduntur, neque presbyteri decipiuntur.

Recta muneris pastoralis organisatio requiritur, ut successus penitus defixiores, diuturniores atque amplioris respirationis habeantur.

⁶⁸ Hoc notari potest circa obligationem ad sanctitatem persequendam in canonibus 245-246 et in canone 276; perfecta continentia praescribitur in can. 247 et iterum in can. 277; obligatio ad diversarum scientiarum studia ante ordinationem in canonibus 248-252 et 254-255, et post consecrationem in canone 279 affirmatur.

«Cooperatio», de qua Codex in pluribus locis loquitur⁶⁹, hanc profunditatem et has argumentationes non praebebat.

e) Alia Concilii cura, tempori hodierno apta, in PO 19 sublineatur. Pertinet ad presbyteros novum pastorale ministerium incipientes.

«His aliisque aptis subsidiis peculiari cura iuventur etiam neoparochi et illi qui novo pastorali operi addicuntur, vel qui in aliam dioecesim vel nationem mittuntur».

Concilii attentio, directa ad neoparochos et ad eos qui novis condicionibus ministerium pastorale incohant, locum in Codice invenisse non videtur.

Attamen praxis praeparationis missionariorum, profectorum in terras externas, quae necessaria ad eos in consuetudines, mores et linguam imbuendos videtur, adest⁷⁰. E contra non semper praeparatio peculiaris pro neoparochis praevidetur, etsi hic atque illic, in aliqua regione episcopali, aliqui cursus ad hoc instituantur⁷¹.

f) Concilium presbyterum ut ministrum ad novas vias pastorales ingrediendas proiectum ostendit. In PO 13 presbyteri describuntur,

«semper ulterius progredientes ad opus pastorale perfectius complendum et, ubi opus est, ad novas vias pastorales ingrediendas parati, sub ductu Spiritus amoris, qui ubi vult spirat».

⁶⁹ Cfr. verbi gratia cann. 275, § 1, 369, 434, 680, 757 etc.

⁷⁰ Missionarii, qui in Americam Latinam profecturi sunt, cursus Veronae ad hoc institutos, a «CEIAL» paratos, frequentare tenentur.

⁷¹ Regio Episcopalis Triveneta, per «Commissionem Regionalem pro Clero» annis 1986 et 1987 cursus residentiales pro neo-parochis paravit. Postea nihil amplius actum est.

Presbyter animatus ostenditur ad respondendum Spiritus Sancti actioni, qui urget progressionem muneris pastoralis in servitio Evangelii, etiam novas ideas, nova sistemata et novas experientias benigne excipiendo. Hoc loco presbyter uti vir charismaticus describitur.

De hoc et ista cum peculiaritate, nobis videtur nihil in Codice translatum esse.

g) Deinde etiam Concilii exhortatio circa presbyteri domum, in Codice spatium non invenit. Affirmat Concilium in n. 17 PO:

«Habitationem suam ita disponant, ut haec nemini impervia appareat et ut nemo unquam, etiam humilior, eam frequentare vereatur».

Codex, dum de residentiae sede (cann. 533, § 1 et 550, § 2), vel de domus paroecialis debita diligentia (can. 555, § 1.3), vel de habitationis in domo paroeciali iure cum debitis exceptionibus (can. 1747) aliquid dicit, de presbyteri habitationis pastoralis pondere, praesertim si presbyter ministerium pastorale in paroecia exercent, nullo modo loquitur.

Cura habitationis totius pastoralis ministerii generis «signum» est; quasi quaedam concreta significatio personarum acceptionis et presbyteri disponibilitatis, cum quibus opus pastorale in omnibus industriis perficitur. Hac de re incisum «etiam humilior», nostro iudicio, magni momenti est. Presbyterorum domus saepe tantum aliquibus aperiuntur, qui quidem non semper inter humiliores enumerantur.

2) Presbyteri imago in relatione cum proprio Episcopo fortiter manifestatur. Concilium ad danda consilia et praecepta his de rebus multam adhibuit curam.

Multa et in Codice translata sunt⁷²; aliqua tamen explicite recepta non fuerunt. Duo ex eis, ad Episcopos dicta, etsi clara videantur, in Codice non inveniuntur:

«Eosdem ut filios et amicos habentes, ideoque ad eos audiendos parati atque confidenti cum eisdem consuetudine, integrum opus pastorale totius diocesis promovere studeant»⁷³. «Necessitudines Episcopum inter et sacerdotes diocesanos vinculis potissimum supernaturalis caritatis inniti debent, ita quidem ut sacerdotum voluntatis consociatio cum Episcopi voluntate pastorem eorumdem actionem reddat uberiores. Quare, ut animarum servitium magis magisque promoveatur, Episcopus sacerdotes ad colloquium, commune quoque, de re praesertim pastorale, vocare velit, non tantum data occasione, sed etiam, quantum fieri potest, statis temporibus»⁷⁴.

Concilium profundam episcopum inter et presbyteros spiritualem unitatem praesupponendo, hac de re duo signa indicat, ex quibus unitas exprimitur et fovetur. Primum generis omnino spiritualis est, et possit quis putare hoc in conceptu «cooperationis» contineri. Nostro tamen iudicio vox «cooperatio» notionem cooperatores ut «filios et amicos» pertractandi non continet.

Etiam audientia presbyterorum ex parte episcopi quodammodo in voce et in opera «cooperationis» includitur. Attamen duo textus citati, praeter modum (confidentis consuetudinis et dispositionis ad eos audiendos), finalitatem relationis pastorem in lucem ponunt. Secunda citatio memorat insuper colloquium

⁷² Cfr. verbi gratia cann. 274, 384.

⁷³ ChD 16.

⁷⁴ ChD 29.

episcopi et presbyterorum periodicum (commune et personale) ad promovendum pastorale ministerium magni momenti esse. Communis colloquii instrumenta esse videntur ea quae in iure praevidentur, verbi gratia: Consilium presbyterale, consultorum collegium, presbyterorum collegium vicariale, etcetera. At vero textus citatus loquitur etiam, et primo quidem loco, de «colloquio personali statis temporibus».

Circa hanc quaestionem Codex alte silet. Experientia autem dicit aliquos presbyteros, hic atque illic, etiam in parvis dioecesibus, multos annos sine ullo cum proprio episcopo colloquio perducere.

Et si in decursu annorum aliqua difficultas oritur, silentii tempora magis protrahuntur, atque incomprehensionum atque ambiguitatum periculum magis magisque crescit.

3) Circa mutuas presbyterorum inter se relationes, Concilium, praesertim in n. 8 PO, multas eis indicationes praebet. Ex quibus, aliae in canonibus novi Codicis translatae sunt⁷⁵; aliae vero, quarum tres memorare volumus, receptae non fuerunt.

a) *«Qui sunt provectoris aetatis, iuniores vere ut fratres suscipiant eosque in primis inceptis et oneribus ministerii adiuvent, itemque mentem eorum, etsi a propria diversam, intelligere satagant atque incepta eorum cum benevolentia prosequantur. Iuvenes, pariter, revereantur aetatem atque experientiam seniorum cumque illis de rebus curam animarum spectantibus consilia conferant et libenter collaborent».*

⁷⁵ De presbyterorum fraternitate, cooperatione et oratione canones 275, § 1 et 245, § 2 loquuntur; de vitae communis consuetudine canon 280 agit; clericorum associationis ius in canone 278 memoratur.

Concilium multa cum suavitate quaestionem diversarum presbyterorum generationum tractavit. In Codice presbyteri, etsi diversam aetatem habeant, (et aliter esse non potest), problemata ad diversam actatem relativa ignorare videntur.

b) «Spiritu fraterno ducti»: hoc modo incipit breve caput in quo presbyteri describuntur uti homines exigentias communes habentes ob infermitatem, ob paupertatem, ob labores; aut simpliciter: «etiam ad relaxandum animum libenter et cum gaudio se convenient, utque a periculis solitudinis forte orientibus eripiantur».

Relativae enuntiationes non amplius gelidas obligationes sapiunt, sed potius peculiaritatem mutui servitii caritate fraterna imbuti suscipiunt. Hoc modo etiam periodici in Vicariatu conventus non amplius ut obligationes intelliguntur, sed desiderantur ut fratrum congregationes, quarum colloquium liberum et sine ulla remora prima expressio est.

c) Consideratio, tamen, peroptima in numeri fine invenitur:

«Demum, ratione eiusdem communionis in sacerdotio, se sciant Presbyteri specialiter obligatos erga eos qui aliquibus difficultatibus laborant; quibus tempestivum praebeant auxilium, etiam si opus sit eos discrete monendo. Illos autem qui in quibusdam defecerunt fraterna caritate atque magno animo semper prosequantur, pro ipsis instantes preces Deo effundant eisque continuo sese praebeant ut revera fratres et amicos».

Haec verba explicationibus non indigent.

Si in Codicem intrassent, certo certius maximi auxilii presbyteris fuissent ad melius intelligendum usque ad quem gradum et quomodo inter eos necessitudines construere oporteat. Nam alicuius errores personales vel pastorales saepe magno sunt impedi-

mento ad ultiores cum aliis relationes constituen-
das, etsi non semper de «obiectivis» erroribus agatur.

V. *Conclusio*

Comparatio Concilium inter et Codicem perfectam presbyteri imaginis identitatem ostendere non potuit. Non agitur de duabus diversis figuris; tamen in translationis opera ex parte Coetus Commissionis optimi exitus afuerunt.

Codex defert presbyterum maturiorem quam precedenti tempore; in fundamentalibus lineis aptiori modo descriptum; meliori et ampliori ratione ad aliqua spiritualia et pastoralia munera assumenda et vivenda proiectum.

Concilium tamen ampliores fines et condiciones praeberat. Concilii presbyter tractibus charismatae respirationis imbutus describitur. Concilii documenta stimulationes et peculiaritates in lucem ponunt, quibus presbyter uti Spiritus vir pingitur, immo uti vir qui, iuris praescripta sequens, in sua vita et pastoralis ministerio longius progredi vocatur. Presbyter ecclesialibus et socialibus quaestionibus, etiam illis quae Codex non consideravit vel in canonisticum sermonem transferre non potuit succurrendis, aptius in documentis conciliaribus praesentatur.

Quaestio tamen prima ponenda est: Cur quaedam huiusmodi in Codice assumpta non sunt? Aliquae responsiones iam supra datae vel significatae sunt. Inter ea clarior sequens esse videtur: consultores iuridicum aspectum nimis sublineaverunt atque maximum momentum dederunt rebus quae iuridice applicari possunt; quae vero minus iuridica videbantur, vel omnino ommissa, vel tantum ex parte recepta sunt. Quod evenit praesertim de presbyteri spiritualibus.

Ea in aliis vero Codicis titulis et locis, uti in parte de episcopis, de vita consecrata, immo et de laicis, melius assumpta sunt.

Secunda quaestio sequens esse videtur:

Omissa, vel ex parte tantum assumpta, in redactis canonibus numquid praesumuntur? Possuntne saltem aliquomodo recuperari?

Iam diximus: omissa, etsi non fundamentalia, tamen alicuius momenti et aliquando necessaria ad mentem Concilii melius exprimendam videntur. Meo iudicio, quae in Codice desunt, difficiliter in Ecclesiae vita concrete applicantur. Atque, in concretis vitae quaestionibus, raro responsum extra Codicem quaeritur, idque non fit nisi in maximi momenti et theoricis quaestionibus.

Responsionis praesumptio inducit ad affirmandum quod difficillime quae non explicite in canonibus inveniuntur, praesumi possunt, quodque ea extra Codicem vix recuperari possunt. Certissime quae de presbytero Codex dicit, etsi non perfecte cum Concilio sint concordantia, non sunt falsa. Tamen ad melius presbyteri imaginem intelligendam, ad fontem primum recurrendum est.

Codex ergo, spectando Concilii documenta, legendus est.

ADRIANO CELEGHIN